

(unknown project)

Epistolae Tegernsienses

Table of contents

[Page 345]

1.

Amico amica.

S. suo dilecto, omnium cognatorum sibi dulcissimo H. fidem et dilectionem.

O utinam, mi dilecte, si tu posses scire, qu? et quanta mala, postquam a te discessi, sum perpessa, quia die et nocte tuus delectabilis vultus est mihi in mente, et hoc iure, quia nullus cognatorum meorum tam amicabiliter suscepit me colloquio et munere. Ergo, omnium diligendorum dulciscime, dignis digna repende, diligentem te ex corde dilige; nec ulla

[Page 346]

de me tibi sit reprobatio, quia in me non est prorsus simulata neque ficta dilectio. Quid multa? Facilius potest aurum in stagnum converti quam mens mea de tuo amore evelli. Ideo nulla sit tibi mora, quin venias ad me.

Vale, vale.

[Page 347]

2.

Amico amica derelicta.

H. quondam carissimo nunc autem perfidissimo N. dignam mercedem secundum opera sua.

Anima mea consummabitur dolore et merore repleta, quia a memoria tua funditus videor deleta, qu? fidem et dilectionem semper a te sperabam usque ad vit? consummationem. *Que est enim fortitudo mea, ut sustineam* pacienter et non defleam nunc et semper? Numquid *caro mea est enea* aut mens mea saxea aut oculi mei lapidei, ut non doleam malum infortunii mei? Quid feci, quid feci, numquid prior te abieci? In quo invenior rea? Vere abiecta sum absque culpa mea. Si culpam queris, ipse ipse culpabilis haberiis. Nam sepe et sepiissime meam ad te direxi legationem, sed numquam in maximo vel in minimo verborum tuorum percepi consolationem. Ideo mortales cuncti discedant, fidem et dilectionem a me ulterius non querant. Cave diligentius, ne tercius interveniat oculus.

Vale vale, meliora sectare.

[Page 348]

3.

Accipe scriptorum, o fidelis, responsa tuorum.

Quid dignum digno valeam scribere, ignoro, presertim cum doctoris aures pudor sit inculto sermone interpellare et nefas sit silentio preterire.

Tamen, prout potero, tibi respondebo. Durum mihi videtur ac difficile, quod conaris a me inpetrare, scilicet integritatem me? fidei, quam nulli unquam mortalium promisi. Attamen si sciero me casto amore a te adamandam et pignus pudicie me? inviolandum, non recuso amorem. Si consistat absque dolore, non potest dici amor, unde constat maximus labor. Cave, nequis videat ista dicta, quia non sunt ex autoritate scripta.

[Page 349]

4.

Affamina salutationis, quibus deberet appellari magnitudo tu? dilectionis, haut apparent me? indagini meditationis. Gaudium etenim mihi est super numerum haren? maris, si omni prosperitate sustentaris. Litteras tu? melliflue dulcedinis redolentes aromata summ? caritatis gratissimas suscepi, sed desideranter perlegens aliquantulum defeci, quia durum tibi esse ac difficile, quod a te quero, in his inveni. Quid plura? Qualiacumque mihi rescripseris vel dixeris, me quasi captivum et vinctum tuo amore sub tua potestate habebis. Vale vale.

[Page 350]

Quot c?lum stellas retinet, quot pontus harenas,
tot laudes vite tu promerearis adire.

5.

Patri suo H. sophi? salutaris lacte incrassato laurea?que religionis ornato X. proprius filiolus, immo servulus, coronam iustici? in die sollempnitatis et l?tici?.

[Page 351]

Letis rerum tuarum successibus congaudeo atque in his vit? incolomitate te semper florere, ut dignum est, desidero. Nam a primevo etatis me? flore nutritus et fatus sum tua paterna pietate et consolatione in tantum, ut, si ore et opere laborarem, pro certo id deservire nequaquam sufficerem. Unde cum psalmista in memet cogor dicere: Adhereat lingua mea palato, si tui non meminero. Quid plura? In omnibus es unica spes mea et ideo fiducialiter pando, quid nunc a te desiderat anima mea. Rogo intime geniculando et obsecrando, ut iste nobis amicissimus atque carissimus immo etiam consanguinea propinquitate iunctus, si possit fieri, vestro collegio asscribatur et adnumeretur Christique gratia donante et tua benigna pietate adiuvante presbiterii honore sublimetur. In his non parvitatem meam perpende, sed divinam remunerationem pro hoc te percepturum adtende.

Vale pater vale, dum dicatur vespere et mane.

[Page 352]

6.

G. cara karissime dulcissime dulcis omne quod excellit, totum quod est et quod erit.

Quamvis nos disiungant maxima intervalla locorum, tamen coniungit nos ?quanimitas animorum et vera amicicia, qu? non est ficta, sed cordi meo infixata, quia in somnis astas quasi philosophia prebens verba consolatoria et pia. Mori vellem, si liceret, ut nemo sub hac luce ulterius me videret, quod tua optata non fruor visione, que fide repleta es et dilectione. Quis dabit mihi genus volatile, ut volitem more aquil?, ut ad te veniam et l?ticiam cordis sumam aliquam? | Quia pre omni sexu in animum te recepi seorsum, si numquam suasionem alicuius abis retrorsum. Et hoc volo stabilire, si simili mihi occurreris fide. Quid amplius? Te amare volo, quousque luna cadat de polo, quia ante omnes, qui sunt in mundo, cordis mei fixa es profundo.

[Page 353]

Vale; dormiendo quasi vigilando non cesso tibi bona optando. Valeas cupio et prosis velut Io. O dulcedo mea, veniant tibi gaudia plena. Munus do dignum non, sed fidei tibi signum. Salutat te dulcis margarita et conventus iuencularum.

[Page 354]

7.

G. *super mel et favum dulciori* B. quidquid amor amori.

O unica et specialis, cur tamdiu in longinquo moraris? Cur unicam tuam perire vis, qu? anima et corpore te diligit, ut ipsa scis, et que more avicul? esurientis te suspirat omnibus horis atque momentis. Ex quo enim dulcissima tua presentia contigit me carere, nolui hominem ulterius audire nec videre, sed quasi turtur perditio masculo semper in arido residet ramusculo, ita lamentor sine fine, donec iterum fruar tua fide. Circumspicio et non invenio amantem nec in uno verbo me consolantem. Dum enim iocundissim? allocutionis ac visionis tu? dulcedinem revolve in animo, dolore comprimor nimio, nam nil invenio tale, quod velim tu? dilectioni comparare, que *super mel et favum* dulcescit et in cuius comparatione auri et argenti nitor vilescit. Quid ultra? In te omnis suavitas et virtus, iccirco de absentia tua meus semper languet spiritus. Omnis perfidi? cares felle, dulcior es lacte et melle, electa es ex milibus, te diligo pre omnibus. Tu sola amor et desiderium, tu dulce animi mei refrigerium, nil mihi absque te iocundi in latitudine tocius mundi. Omne quod tecum erat mihi suave, sine te laboriosum est et grave. Unde dicere volo

[Page 355]

veraciter, si fieri posset, quod vit? precio te emerem non segniter, quia sola es, quam elegi secundum cor meum. Iccirco semper obsecro deum, ne prius me mors preveniat amara, quam visione tua fruar optata et cara. Vale, omnia, qu? sunt fidei et dilectionis, de me habe. Quem transmittito accipe stilum et ad hec animum meum fidum.

[Page 356]

8.

G. unic? su? ros? A. vinculum dilectionis precios?.

Qu? est fortitudo mea, ut sustineam, ut in tuo discessu patientiam habeam? Numquid *fortitudo mea fortitudo est lapidum*, ut tuum exspectem reditum, que nocte et die non cesso dolere, velut qui caret manu et pede? Omne quod iocundum est et delectabile, absque te habetur ut lutum pedum calcabile. Pro gaudere duco fletus, numquam animus meus apparet l?tus. Dum recordor, qu? dedisti oscula et quam iocundis verbis refrigerasti pectuscula, mori libet, quod te videre non licet. Quid faciam miserrima? Quo me vertam pauperrima? O si corpus meum terr? fuisset creditum usque ad optatum tuum reditum, aut si translatio mihi concederetur Abacuc, ut semel venissem illuc, ut vultum amantis inspexissem et tunc non curarem, si ipsa hora mortua fuissem, nam in mundo non est nata, que tam amabilis sit et grata et que sine simulatione tam intima me diligit dilectione. Unde sine fine non cesso dolere, donec te merear videre. Revera iuxta quendam sapientem

*magna miseria est hominis cum illo non
esse, sine quo non potest esse*

. Dum constat orbis, numquam deleberis de medio mei cordis. Quid multis moror? Redi dulcis amor, noli iter tuum longius differre. Scias me absentiam tuam diutius non posse sufferre. Vale meique memorare.

[Page 358]

9.

Suo sua sibi se.

Dicit quidam sub nomine Ovidii de amore:

*Sperabam curis finem
fecisse futuris.*

Quem tamen versum apud me volo alias esse versum, nam sperabam non esse opus nullis scriptis, sed *rursus ad arma vocor* et, quos non volui, cogor inire modos. Sermonem ceptum quis enim retinere valebit? Nolo vero sis mihi molestus, dum depromo, animi que concipit estus. Scripsi tibi, ut verum fatear, familiarius, quam ante te nullus virorum umquam a me extorquere valuerit. Vos quippe viri astuti vel, ut melius dicam, versuti nos simplices puellulas capere soletis in sermone, quia plerumque ex mentis simplicitate procedentes vobiscum in campum verborum nos percutitis iaculorum vestrorum, ut putatis, iusta ratione. Hinc est, quod litteras tibi proxime a me destinatas monstruosis non existentibus quibusdam animalibus, significatione tamen rerum non carentibus adequasti et postmodum identidem executus es, per quod criminari tuam amicam non timuisti. Nimis enim irreverenti et infronito animo modum excedendo frena currentis sermonis inprovidè laxasti, dum chimere et sirene verba, ut putabam, bona verba et solitaria, de

*conscientia bona et fide
non ficta*

procedentia, equiperaſti. Quod aliunde non eſſe firmiſſime

[Page 359]

ducor credere niſi inde, quia daz der boch, et exinde, quia putatis, quod poſt mollia queque noſtra dicta transire debeatis ad acta. Sic non eſt, nec erit: wande ih mohte dir deſte wirs geualle, ob ih mih proſternerem in allen, den ich g?tlichen z?spriche. Wande du mir daz uercheret haſt, notabilis factus eſ mihi. Deſne ſoltu dun niemere, friunt uolge du miner lere, div nemach dir geſcaden nieth. Wande wareſt du mir nieth lieb, ego permitterem te currere in voraginem, ut ita dicam, ignorantie et cecitatis. Deſne biſt abe du nieth wert, quia in te ſunt *fructus honoris et honeſtatis*. Ich habete dir wol mere geſcriben, niu wan daz du biſt alſo wole getriben, quod ſcis colligere multa de paucis. Statich unde ſalich du iemer wiſ.

[Page 361]

10.

H. flori florum, redimito stemmate morum,
virtutum forme, virtutum denique norme,
[...] similis mellis et turtur nescia fellis,
quicquid iocundum, quicquid valet esse secundum
vite presentis vel quicquid dulce perennis,
quod Piramo Tispe, tandem post omnia sese,
hinc iterum sese vel quicquid habet melius se.

Dilectissimorum dilectior, si exsuperaret mihi ingenium Maronis, si
afflueret eloquentia Ciceronis aut cuiuslibet eximii oratoris aut etiam, ut ita
dixerim, egregii versificatoris, imparem tamen me faterer esse ad respondendum
pagine elimatissimi tui sermonis. Quapropter si minus lepide,
quam volo, aliquid profero, nolo irrideas, dum tamen, quod animo gestio,
mecum dulciter persentiscas. Igitur cum bonarum sit mentium proprium
consimilium familiaritatem appetere cordique mihi sit tuis preceptionibus
in omnibus velle obsecundare, litterarum tuarum dulcedini per presentia

[Page 362]

licet imparia scripta libuit responsione obviare. Quia itaque primus et
medius et ultimus sermo noster de amicitia semper incessit, de amicitia
vera, qua nihil est melius, nihil iocundius, nihil amabilius, dicere ipse
rerum ordo concessit. *Amicitia* vera attestante Tullio Cicerone

*est divinarum
humanarumque omnium rerum cum karitate et benivolentia consensio*

que etiam, ut per te didici, excellentior est omnibus rebus humanis
cunctisque aliis virtutibus eminentior, dissociata congregans, congregata
conservans, conservata magis magisque exaggerans. Hac descriptione sive
diffinitione nihil verius; huic siquis innitatur, non invenit fundamentum
solidius.

Huic innitatur, per eam nam consolidamur;
excellens res est, desperatis pia spes est;
hec reparat lapsos recreatque gravedine lassos;
non sinit errare, iubet atque licenter amare,
ut dicam breviter, disponit cuncta decenter;
dicimus audenter, regit imperat atque potenter.

Hac igitur obmissa neque tamen dimittenda ad te flecto stilum
sermonis, ad te inquam, quem teneo medullis cordis inclusum, omni laude
dignum humane rationis, nam a die, qua te primum vidi, cepi diligere te,
tu cordis mei intima fortiter penetrasti tibi inibi, quod dictu mirabile
est, sedem affamine iocundissime confabulationis tue preparasti et, ne
aliquo deiciatur impulsu, epistolari sermone firmissime quasi tripodam
immo quatripodam collocasti.
Hinc est, quod te de mei memoria nulla poterit delere oblivio, nulla
obfuscare quibit caligo, nulla disturbare ventorum nubiumque licet vehementissima
valebit concursio, nam ubi succedit rerum varietas, quomodo
appellari potest stabilitas? Fateor namque, quia id appellarem verum esse,
si in tui presentia possem continuatim esse. Verum quia id esse adimitur,
omne esse, quodcunque est, falsum apud me creditur. Fac ergo, ut valeam
apprehendere verum esse, quod non alias procedit nisi de tuo esse mecum
esse. Fides quoque esse dicitur omnium virtutum regina, quod testatur

[Page 363]

non solum pagina divina, sed et secularium doctorum non improbanda doctrina.
Hanc expetis, hanc expeto; hanc a me queris, hanc a te requiro; hanc
verbis, hanc rebus cordi tuo tenacius infigo; ab hac si disiungeris, in ima
dimergeris; ab hac si separaris, a bonorum sorte quid nisi vagaris? Huic si
coniungeris, ut Phebi radius enitescis; colens eam virtutum arcem capescis;
huic adherens beatam vitam nancisceris; hanc tenens spei tue anchoram
apprehendere poteris. Quare? Quia spem conciliat, amorem conglutinat,
huius nexibus copulamur, huius affectibus congratulamur. Quid plura?

Omne bonum gignit, quemcumque fide deus ignit.
Tu solus es ex *milibus electus*, solus es in mentis mee penetrabilibus
quoddam penetrale receptus, solus mihi ad omnia sufficis, si tamen ab
amore meo, ut spero, non deficis. Sicut fecisti, feci: omnia leta ob amorem
tui abieci, in te solo pendeo, in te omnem spem meam fidutiamque positam
habeo. Porro quia me a militibus quasi a quibusdam portentis cavere
suades, bene facis. Ego quidem scio, quid caveam, ne incidam in caveam,
tamen salva fide ad te habita illos omnino non abicio, dum tamen non
succumbam illi, quod eis infligis, vicio. Ipsi enim sunt, per quos, ut ita
dicam, reguntur iura curialitatis; ipsi sunt fons et origo totius honestatis.
De istis ista sufficiant, dummodo amoris nostro nihil officiant. Sponsionis
mee non inmemor semper et ubique eris mihi in memoria, quia per hoc
arcus meus instaurabitur et innovabitur gloria mea. Stabilimentum mentis
et fidei tibi scilicet soli et servo, et quia per hoc aurum et argentum id
est iocunditatem animi super aurum et argentum amplectendam mihi
coacervo, quicquid potissimum tibi fuerit, hoc ego complector et in
omni tempore sector.

Semper inherere statuit tibi mens mea vere.
Esto securus, successor nemo futurus
est tibi, sed nec erit; mihi ni tu nemo placebit
Scripsissem plura, dixi non esse necesse.

Du bist min, ih bin din, des solt du gewis sin; du bist beslossen in
minem herzen, verlorn ist daz sluzzellin, du m?st och immer dar inne
sin.

[Page 364]

11.

[Page 365]

Familiaritatis tue literis diligentissime perlectis multiplici laude fidei
et amicitie sum delectatus et instar campi hiberno iam tempore transacto
floribus iocunditatis denuo renovatus. Neque vero *si* omnia

*mei corporis
membra verterentur in linguas*

, tantis laudibus respondere sufficerem, aut
si totus cavernose modum spongie imitarer, tantam extollentiam haurire
prevalerem; si tamen secundum illud Oratii

*humano capiti cervicem
equinam*

non adiunxisses vel *si mulier formosa superne in atrum piscem non
desisset*. Non enim codice ammirationis mihi chimeram proposuisti, dum
ex fonte uno dulcem et amaram simul aquam perfudisti, quod cordis mei
campum, dum per te irriguus fidei et amicitie florere et fructum facere
cepisset, subito amaritudinis fluore superfluente omnem illius delectabilem
amenitatem arefecit. Siquidem ramos tuos verborum foliis decenter
adornatos ad me protenderes, cor meum allexisti, sed ne fructum aliquem
arboris tue ad gustandum decerperem, repulisti. Hec est enim evangelica
illa ficus sine fructu et poetica sollertia sine cultu:

*Quid etiam terram
occupat?*

Si enim *fides sine operibus mortua est* et plenitudo dilectionis
exhibitio est operis, valde te contrariam tibi ipsi ostendisti, dum bonis
principiis dulcibus prosecutionum eloquiis non adeo congruum finem
fecisti vel indixisti, sed velle meo nolle tu tuum contra legem amicitie
posuisti. Decet enim priorem literarum tuarum seriem asperum illum
epilogum amicitie contrarium omnino abnuere et, que verbis magnifice
exsecuta es, amabilibus factis adimplere.

[Page 366]

Si per prosaica [minime movearis, amica,]
Nec convertaris, [metrico sermone regaris.]
Ultima que scribis, [certe servare nequibis:]
nam tua prescripta [tollunt verissima dicta]
docti Nasonis [nec sane sunt rationis.]
Sed male finivit, [hec qui decreta linivit.]
Quem vis ledere? Lenibus aspera ultima dixisti mala!
Convenit orsa probes, [quod scribis: 'diligere', sodes.]
Cur non ego petam, [quam vult dilectio metam?]
Naturalis himen: [penetrem liceat mihi limen!]
Quid contra dicis, [pro solis censeo tricis,]
convenit ergo malis [- nullo sis tempore talis.]
Computo pro dicto: [alius mihi nuntius ito,]
nam carte fallunt, [non omnia pandere malunt.]
Si mihi linquatur [lux, porta patens tribuatur,]
Tunc veniam certo [complectar tete lacerto.]
Scripsissem tibi S. [plus, si per me licuisset:]
Nomen prodidisse dixi non esse necesse.

[Home](#)

Anonimi. Date: 2024-11-26